

tiae suae merito liberavit, ac redemit genus humanum: atqui neque obedivit ac meruit voluntate divina, ergo obedivit ac meruit voluntate humana. Huc accedunt illa scripturarum effata, quae de Christo referunt quae hominis sunt et humanae naturae consentanea e. g. ut legitur apud Marcum, quod Christus accedens ad apostolos volebat praeterire illos (a); et ingressus in domum neminem voluit scire et non potuit latere (b); sic Com dederunt ei vinum cum felle mistum, gustans noluit bibere (c), aliaque ejusmodi sexcenta occurrunt quae aperte ostendunt Christum actus elicitivae humanae voluntatis proprios.

Hae ex scriptura de promptis ad propositam thesiam ostendendam adjuvamus auctoritatem sanctorum patrum tum graecorum, tum latinorum. Cum vero longum nimis esset singulorum auctoritates proferre, juverit ad certas classes eorum testimonia redigere. Ac I. veniunt illi, qui ex diversis operationibus asserunt Christum Deum et hominem esse; ita Ignatius, Justinus M. Irenaeus, Hippolytus, Tertullianus (d). 2. Id ipsum adstruunt qui adversus arianos pugnaverunt ostendentes quae infirmitatis actiones sunt tribui non posse divinitati, ut Athanasius, Eustathius antiochenus, Cyrillus jeros., Epiphanius, Basilius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, aliique (e). 3. Qui ex distinctione operationum colligunt adversus apollinaristas duas esse in Christo distinctas et inconfusas naturas ut Basilius, uterque Gregorius Nyssenus et Nazianzenus, Cyrillus alex., Theodoretus, Ambrosius, Leo M., Gelasius, Fulgentius (f).

Et haec de operationibus naturalibus, in quibus comprehenditur voluntas prout naturalis facultas est; prout autem haec in actus erumpit sive in volitiones, duplicem eam in Christo patres praedicasse non minus certe constat. Sic enim inter ceteros aperte loquitur s. Athanasius, qui recitatis illis Christi verbis *Pater si fieri potest etc.* subdit: «Duae hic voluntates ostendit, unam videlicet humanam, quae est carnis propria; alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem, deprecatur passionem; divina vero ipsius prompta est» (g); ex iisdem verbis id ipsum inferunt s. Greg. Nyss. dicens: «Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina» (h), et s. Chrysostomus scribens: «Propriam quidem habere se voluntatem manifeste demonstrat, sed ubique paternam

(a) Marc. VI. 48.

(b) Ib. VII. 24.

(c) Math. XXVII. 34.

(d) Ignat. ep. ad Trall. c. IX. Just. M. in Dial. p. 216 seqq. Iren. lib. III. c. XXXII. Hippolytus apud Theodor. Dial. 2. Tertull. in Apolog. c. XXI. H. cum omnium testimonia refert Detax. lib. VIII. c. VIII. §. 1. seqq. c. IX. §. 1.

(e) Loco nuper indicato.

(f) Ibid.

(g) De incarn. et cont. Arian. n. 21. ed. Maur. tom. I. p. 887.

(h) Apud Agathon. in epist. ad Imp. in Actis sextae synod. actione IV. coll. Labb. Tom. VI. col. 652.

voluntatem anteponit suae (a), et alibi passim. Ex latinis s. Ambrosius: Sed alia, inquit, voluntas hominis alia Dei... Susecepit ergo voluntatem meam, susecepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomen, quia crucem praedico. Mea est voluntas quam suam dixit; quia ut homo susecepit tristitiam meam, ut homo locutus est; et ideo ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis (b). Et haec ex multis pauca attulisse sufficiat.

Præstat demum rem totam concludere argumentis theologis quibus veteres usi sunt. Ac primo ex ipsa operationis notionem. *Operatio* seu ut eam graeci vocant *ἐνεργεια* (energia) nihil aliud est ex communi philosophorum doctrina, nisi motio substantivae naturae ejusque nota essentialis; natura enim sine propria vi, energia et operatione nec est nec intelligi potest; ergo totidem debent esse operationes in Christo quot sunt in ipso naturae: atqui ex demonstratis duae sunt in Christo naturae distinctae et inconfusae; ergo duae sunt distinctae in eo agnoscendae et inconfusae operationes (c); praeterea si unica in Christo esset operatio, haec vel simplex vel composita esset; atqui neutrum dici potest. Si enim esset simplex vel divina esset vel humana; si divina, ergo Christus solum Deus esset, si humana, homo tantummodo esset. Non potest esse composita ex operationibus utriusque naturae, quia in hac hypothesis simul divina et humana foret, creata et increata, infinita et finita, seu potius nec divina nec humana esset. His aliisque hujusmodi argumentis monothelitas perstringebant patres praesertim vero s. Maximus Confessor in disputatione cum Pyrrho.

Praeter has ambas naturales operationes inesse in Christo humanas ac liberas voluntatis actiones, seu volitiones liberas, quae ex deliberatione profluunt ita evincitur: Verbum divinum ex dictis naturam sibi assumpsit omnino perfectam: atqui ad perfectionem nostrae naturae praecipue spectat vis electiva, seu libera eligendi facultas, citra imperfectionem quae inter bonum et malum versatur, ergo in Christo homine haec reperitur necesse est. Insuper: sive humana libera voluntate Christus promoveret non potuit, nec propterea nos redimere ac pro nobis satisfacere: atqui Christus utrumque praestitit, ut

(a) Cit. in VI. syn. act. X. col. 792.

(b) Lib. II. de fide c. VII. n. 52. 55. ed. Maur. tom. II. p. 480.

(c) Hoc adeo exploratum veteres patres habebant, ut ex differentibus et distinctis operationibus colligerent adversus apollinaristas et deinde adversus Eutychianos duas esse in Christo distinctas et diversas naturas. Cum enim actiones et operationes indicia et natae naturae sint cujuslibet, ex his tanquam principis magis notis procedebant ad ostendendum quod minus notum videbatur, nempe diversitatem in Christo naturarum. Quare monothelitas duplicem distinctam operationem in Christo negantes illico patres apollinarismi et eutychianismi accusarunt, pro certo sumentes perinde esse negare operationem ac ipsam auferre naturam. Cf. Pet. lib. VIII. cap. VI. VII.

paulo post ostendemus, ergo tali voluntate praeditus fuit (a).

Sive igitur scripturas consulamus sive patrum doctrinam ac perpetuum ecclesiae sensum, sive denique rationes ex intima rei natura petitas, constat duas naturales voluntates et operationes in Christo esse agnoscendas et profitendas.

DIFFICULTATES.

I. Obj. 1. Nulla est nec esse potest in Christo voluntatum pugna: jam vero si allata scripturarum testimonia litterali sensu admitterentur talis insurgeret pugna, metaphorice proinde accipienda sunt, nec quidquam pro adsertoribus duarum voluntatum et operationum evincunt. Quare patres 2. natum Christum dicebant «absque carnalibus voluntatibus et cogitationibus humanis» ut Athanasius (b); vel 3. Christi *velle* sui se totum *deificatum*, ut inter ceteros loquitur s. Greg. Naz. (c); vel 4. «Carnis quidem passionem fuisse, Dei autem operationem» ut Greg. Nyss. (d); vel 5. Christum «unam cognatam operationem per ambas naturas demonstrasse» ut Cyrillus alex. (e); vel 6. denique Christum «unam quandam theandricam (id est deivirilem) operationem nobiscum conversando exhibuisse» ut praeteris Dionysius areopagita (f); quae omnia cum duplici Christi voluntate et operatione componi nequeunt. Ergo.

R. ad 1. N. min. Etenim illis verbis, quibus postulat Christus, ut si fieri posset transiret a se passionis imminuentis calix, et in quibus monothelita pravi dogmatis sui vim collocebant ad ostendendum duarum voluntatum conflictum, non exprimit nisi naturalem carnis affectionem, seu, ut dicitur, partis inferioris mortem recusantis; quae quidem affectio insita nostrae naturae est atque a Deo ipso ejusdem auctore illi ingesta. Quare dum Christus ejus vocem expressit, ut nobis consubstantialem naturam se habere ostenderet, maxime obsecutus est auctori ipsi naturae. Haec autem naturalis affectio non est proprie dicta voluntas: dici propterea ne-

(a) Ibid. I. II. c. VIII.

(b) Tom. I. p. 500. C.

(c) Grat. XXXVI. p. 585. A.

(d) In VI. syn. act. XII. ed. Lab. p. 925.

(e) Apud Maxim. in disput. cum Pyrrho p. 701. qui Cyrilli locus lib. IV. comm. in Jo. legitur p. 361. ed. cit.

(f) Integer textus hujus loci, nempe epist. IV. ad Cajum monachum ita se habet: «Nani, ut summam dicamus, ne homo quidem erat, non quod non esset homo, sed quod ex hominibus natus, homines longe superaret, et supra hominem vere homo factus sit. Ceterum divina non qua Deus intrabat, neque humana quatenus homo gerebat, sed quatenus erat Deus et homo; *nomum* quamdam nobiscum conversando deivirilem operationem exhibebat.» Edit. Corderii S. J. opp. t. II. p. 75. Antwerp. 1654. De hoc Dionysio cf. Le Quien bis-ect. II. dama-cena §. X. seqq. et Jo. Franc. Bero. Mar. de Rubis *De gestis et scriptis s. Thome* dissertat. XI. *De fide auctoris opp. quae vulgo areopagita dicuntur*. Venet. 1750.

quit, inde patet fieri voluntatum contrarietatem; eo magis quod non absolute, sed sub conditione *si fieri potest* ejusmodi affectionem sibi congenitam et secundum hominem patefecerit. Vera et proprie dicta voluntas humana Christi ex subsequentibus verbis ostenditur: «Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu» vel: «Non mea voluntas sed tua fiat, quibus vincens naturalem illam affectionem infirmæ naturae se paratum exhibet ad Patris voluntati obsequendum, ac plenam ostendit voluntatis suae humanae cum voluntate divina consensionem et conformitatem. In his porro postremis verbis catholicorum argumenti vis sita est ad duas in Christo ostendendas voluntates.

Quod spectat ad alium textum quem pariter obiciebant haeretici ad evincendum voluntatum conflictum ex Jo. VI. 38. «Descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui mihi me;» ostenditur quidem ex eo duplex in Christo voluntas, non autem earundem pugna, cum voluntatem suam humanam Christum perfecte voluntati divinae, seu voluntati Patris sui submissam ac plane conformem patefaciat, ita ut nunquam ille prout homo est aliud velit, quam quod ipse vult, ut ex ipso contextu constat (a).

Ad 2. D. Ad excludendum ab humana Christi natura quidquid ex Adamo corruptelae in humanam naturam et generationem transit, C. ad excludendam voluntatem humanam proprie dictam N.

Ad 3. D. Ita tamen ut integrum *velle* persisteret, C. absorptum aut confusum N. alioquin non diceretur *deificatum*; «Quod natura divinum est, ut loquitur s. Agatho Romanus Pontifex (b), non indiget deificari, quod vero deificatur, non est profecto natura divinum.» Eadem igitur ratione dixerunt nonnulli patres deificatum Christi velle, quae deificatam dixerunt humanam ipsius naturam, quae tamen ipsi monothelitis latentibus, integra permansit.

Ad 4. D. Principalem, quaeque regeret in suis motibus humanam naturam, C. solam, et ad exclusionem operationis humanae N. Ideo autem Nyssenus carnis passionem memorat, quia omnis creata natura, ut loquitur s. Joan. Damasc. (c), patiendi se movet et agit, sola autem natura divina sine passione se movet et agit sine motu. *Passio* propterea hic improprie usurpatur.

Ad 5. D. Ob indivisum utriusque naturae et operationis concursum, C. ob unicum operationis naturae principium N. Cum enim aeternissimo inter se nexu utraque natura copulata esset, hinc in Christi operationibus per modum unius semper emicurreret utriusque naturae operatio, quam propterea aptissime s. Cyrillus *cognatam* appellavit.

(a) Cf. Calmet. in. b. 1.

(b) In epist. I. ad Imperatores, quae extat in Act. IV. synodi VI. Leguntur autem recitata verba in coll. Labb. col. 655. tom. VI.

(c) Lib. III. De fide orthod. a. XV. opp. ed. Le Quien. t. I. p. 256.

Ad 6. D. Id est novam, prout plures legendum esse contendunt Dionysii vulgo areopagite testimonium, C. unam theandricam, ut aliis placet, subd. ratione prefata cognationis juxta modo dicta, C. ratione unius naturalis principii N. (a).

II. Obj. 1. Unitas operationis sequitur ex unitate personae. 2. juxta illud theologicum sermone tritum effatum: *actiones sunt suppositorum*; cum ergo unica sit in Christo persona, unica debet quoque esse ejus operatio; 3. nec quisquam est, qui inficari possit Christum unum esse volentem et operantem, ideoque unam ejus voluntatem et operationem. Quod ut manifestum fiat juvrit animadvertere: primo naturam humanam nihil ex se operari posse, sed solum ut motum a divina persona, ac proinde duo quidem in eo agnosceda operata non vero duas operationes; 2. esse ad hypostasim subsistentem pertinere ac proprie etiam operari; 3. Si operationes tribuantur naturae, cum eadem sit natura Patris et Filii et Spiritus Sancti, illud sequi operationes naturae divinae in Christo tribus divinis personis esse tribuendas, quod absurdum esse nemo non videt; 4. Personam Verbi usam esse humana naturam tanquam instrumento quodam, ut Patres passim loquuntur; una autem et eadem est operatio artificis et instrumenti, quod ab artifice adhibetur. 5. Quare optime Honorius Pontifex tum unam asseruit in Christo voluntatem in epistolis ad Sergium datis, tum ejusdem Sergii agendi rationem et consilium laudavit. Ergo.

R. Ad 1. N. Principium enim, vis atque energia operationis est natura, licet *personalitas* sive subsistentia sit conditio sine qua natura neque existere neque proinde operari queat; alioquin tres operationes naturales in operibus, ut vocant, ad extra essent in Deo admittende, quod nemo sanus dixerit.

Ad 2. D. Actiones sunt suppositi tanquam principii *modi*, ut scholae loquuntur, C. tanquam principii quo. iuxta modo datam explicationem N. (b).

(a) De hoc pseudo-Dionysii dicto cf. s. Jo. Damascenum l. c. e. XIX. nec non s. Maximum M. in scholis ad hunc Dionysii locum ed. cit. Omnes enim in eo conveniunt ut asserant Auctoris hujus mentem non aliam fuisse, quam docere, conjunctim utramque naturam in Christo ratione ejusdem suppositi cum alterius communicatione agere illud quod utraqueque proprium habet seu unum idemque esse operatum in utraque, et pro utraque natura. Vid. etiam Petav. lib. VIII. capp. X. XI. XII.

(b) Circa hoc scholarum usu tritum axioma *actiones sunt suppositorum* cf. Pet. lib. XIII. c. II. ubi ostendit facile in concordiam revocari posse tam eos, qui ejusmodi effatum aditant, quam eos qui rejiciunt. Cum enim suppositum, sive hypostasis, aut persona non aliud sit nisi natura ipsa singularis certo modo affecta, qui modus nec ad essentialia pertinet, nec *entitatem*, ut vocant, addit ullam; ideo quaecumque de supposito dicuntur, ea de natura predicantur, non simpliciter, et ut in se sen in abstracto consideratur, sed quatenus quodammodo modificatur. Quocirca actiones esse suppositorum, nihil aliud est, quam esse naturae subsistentis. Non enim modus ille ipse, qui *subsistentia* vulgo in scholis vocatur, origo aut fons est actionis; sed tantum conductio quaedam sine qua non exercetur actio, itaque restrictus sequi velimus quod proprie agit est natura, ipsa est tri-

Ad 3. D. Ratione unius ejusdemque personae operantis per utramque naturam, C. ratione unius ejusdemque operationis N. Quod declaratur exemplo gladii igniti, qui una eademque actione secat et urit, licet distincta sint principia secandi et urendi.

Ad conf. 1. D. Si natura humana careret propria virtute vi ac energia, C. si propriam habeat et juxta eam agat et operetur licet mota a divina persona N. Sicut gladius ignitus ad lignum admotus urit vi propria; motio autem quam natura a persona divina accipit propria natura, nempe libera, consentanea est (a).

Ad conf. 2. D. At diversa ratione, C. eadem N. *tenim esse completum* pertinet ad personam ratione termini naturam individuantis, ut scholae loquuntur, operari vero pertinet ad personam tanquam conditionem, ut diximus, sine qua natura exercere propriam vim et facultatem non potest, sicut nec subsistere. At posito quod natura in persona subsistat, poterit et operari virtute propria. Operatio enim, ut animadvertit s. Thomas est quidam effectus personae secundum aliquam formam vel naturam (b).

Ad conf. 3. D. Si tribuantur naturae in genere, C. si naturae prout in persona subsistit, id est, affecta, seu modificata peculiari sua tessera et nota personali N. Porro utraque personarum divinarum non solum *ad intra*, ut fertur, verum etiam in actionibus ad extra cum suo proprio personali respectu, character, seu personali tessera operatur. Quare cum divini Verbi persona, prout distinguitur ab aliis personis copulaverit sibi naturam humanam, sic prout distinguitur a personis reliquis in assumpta natura agit et operatur (c).

cipiam actionis, non autem agit natura nisi subsistens sit.

(a) Cf. s. Th. III. p. q. XIX. a. 1. tum s. Jo. Damasc. l. c.

(b) Loco cit. in resp. ad 4.

(c) Cum hanc sibi Petavius proposuisset difficultatem lib. VIII. c. X. §. 15. eidem occurrit animadvertendo personam divinam ex duobus constare *natura et relatione*; ad naturam vero *conceptum, rationem sive definitionem* magis pertinere *essentialiam* quam habitudinem sive proprietatem. Hinc definitur persona *rationalis naturae individua substantia*. Porro substantia primae magis intima est ratio ipsa substantiae, quam *singularitas*, sive proprius subsistendi modus. Siquidem nihil rei ulli tam insitum, tanquam intestinum est, quam essentia. Est autem personae essentia, natura ipsamet, non personalis proprietas, quae in divinis personis est relatio. Igitur cum persona Verbi humanae naturae conjungi dicitur, non aliud intelligimus, quam naturam divinam cum ea copulari: non absolute praesecum sumptam, sed quatenus determinata est, et modificata personali Verbi proprietate. Quare ipsa quoque *ἐπιπέση* et operatio divina, secundum interiorem substantiam, et ut est in Deo considerata, et proprie tate modificata, Verbi, ad humanam naturam *ἐπιπέση*, et fit ei peculiaris, ac *θεωδωρικὴ ἐπιπέση* Christi propriam efficit, quae perinde ex operatione illa divina, per congruentem Verbo subsistendi modum definita et determinata, atque ex humana functione componitur, et ex utraque natura persona ipsa Christi composita est. Ut autem natura divina humanae Christi naturae conjungitur; nec ex eo sequitur totam ipsam Trinitatem

Ad conf. 4. D. Tanquam instrumento hypostatice sibi conjuncto, nempe vivo, intelligente, propria vi et efficacia praedito, C. tanquam instrumento naturali aut artificiali inertis, passivo, ac propria vi et efficacia destituito N. Verbum enim non tribuit naturae humanae assumptae nisi subsistentiam. Subsistens porro humana haec natura in Verbo omnia quae propria hominis sunt, propria vi omnino operabatur; ideoque intelligebat, volebat, ambulabat, loquebatur aliaque ejusmodi operabatur proprio motu et virtute, nec a Verbi persona dependebat nisi ad subsistendum, ac proinde ad operationes suas proprias exendas ut a conditione sine qua nec subsistere, nec existere, nec operari posset, ut toties expositum est (a).

Ad conf. 5. D. Unam Honorius asseruit in Christo voluntatem *humanam* ad excludendam pugnam carnis et spiritus qualis in nobis reperitur, C. ad excludendam divinam vel humanam voluntatem proprie dicam N. Ita exponunt Honorii mentem omnes coevi scriptores Joannes IV, Honorii post Severinum successor (b), s. Maximus M. (c), Joannes abbas romanus Honorii amanuensis, qui ejus nomine litteras ad Sergium datas exaravit (d). Sed praestat ipsa Honorii verba in medium adducere ex quibus quoniam ejus mens fuerit plane dignoscitur: « Unde, inquit, et unam voluntatem fatemur D. N. J. C. quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa (e); illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post pravariationem vitata... Nam lex alia in membris, aut *voluntas diversa* non fuit, *vel contraria* Salvatori quia supra legem natus est humanae conditio-

uniri, etsi tota ipsa natura Trinitatis cum illa societate: sic operatio toti communis Trinitati cum humana operatione committitur, non tamen eodem modo, operari Trinitas *ἐνεργεῖται θεωδωρικῶς* dicitur, quo Verbum ipsum; sed ut proprietate personali Verbi modificata est operatio ista, ad humanam *ἐπιπέση* accommodatur. Cf. etiam ib. c. XII. §. 14. necnon de Rubeis in dissertat. *De gestis et scriptis s. Thomae* diss. I. capp. XIV. et XVII.

(a) Cf. s. Th. l. c. et in resp. ad 2. ubi inter cetera scribit: « Actio instrumenti, in quantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis; potest tamen habere aliam operationem, prout est res quaedam. Sic igitur operatio, quae est humanae naturae in Christo, in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis: non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi, et divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Christo, in quantum est natura quaedam, propriam operationem praeter divinam ».

(b) In apologia pro Honorio Papa ad Constantin. Imp. apud Labb. coll. Concil. t. V. col. 1760. seq.

(c) In disputat. cum Pyrrho, opp. s. Maximi confessoris Gr.-lat. edit. Combefisii Ord. Praed. tom. II. p. 181.

(d) Ibid. apud s. Maximum. Notandum vero est, s. Maximum hujus amanuensis auctoritate et testimonio ita fregisse audaciam Pyrrhi, ut cum ad silentium redegerit. Cf. eundem s. Max. in epist. ad Marinum presbyt. edit. Combefisii. t. II. p. 152. et in defloratione ex ejusd. epistola ad Petrum Illustrem ib. p. 75.

(e) In gr. textu apud Hard. tom. III. col. 1520. additur: *in illa profecto natura quae etc.*

PERRONE. I.

nis » (a). En quo sensu unam dixerit Honorius voluntatem in Christo.

Quod attinet ad *operationes*, Sergii fraude deceptus approbavit Honorius ad novas praevendendas quaestiones, ne in posterum una vel gemina diceretur in Christo operatio; quia scilicet spectabat hanc denominationem ut discordiarum segetem, quaeque potius ad grammaticam quam ad ecclesiastica dogmata pertineret. En rursus ejus verba: « Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis, una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare » (b). Ceterum catholicam doctrinam quoad Christi operationes Honorium tenuisse evidenter ostendunt, quae ipse scripsit Ep. II. ad eundem Sergium: « Utrasque naturas, inquit, in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communicatione operantes, atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei sunt operantem; et humanam, quae carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut convertibiliter... sed naturarum differentias integras contententes (c). »

Quod si nihilominus Honorii nomen inter haereticos monothelitas recensitum fuit, atque anathematis telo percussum a concilio constantinopolitano III., non ob dogmatis pravitatem, id factum est, sed quia catholicam fidem « Profana prodicione, ut loquitur Leo II. in Epist. ad Constantinum Pogonatum ejusdem concilii confirmatoria, immaculatam maculari permisit » (d) qui, ut rursus idem Pontifex loquitur in epist. ad hispanos episcopos, flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit (e). Neque alio sensu concilium VI. eum ut haereticum damnavit. « Ulpote qui eos in his secutus est » (f) hujusmodi haereseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator (g) « Horum (monothelitarum) haereseos in omnibus fautorem, concursorem atque confirmatorem » se gessit (h), ut legitur in actis ejusdem concilii, quatenus scilicet approbavit oeconomiam de silentio circa unam vel duplicem operationem a monothelismi fautoribus propositam, quorum dolum et versutiam non advertens Honorius, ab iis decipi passus est (i), cum tamen pro munere huic haereticorum temperamento maxime obsistere debuerit, et

(a) In collect. Hard. l. c.

(b) Ibid.

(c) Ibid. col. 1554.

(d) Ibid. col. 1475.

(e) Apud Labb. tom. VI. col. 1247.

(f) Actione XVIII. in coll. Hard. l. c. col. 1422.

(g) Ib. in edicto Imperat. Constantini col. 1447.

(h) Ib. col. 1455.

(i) Sed circa causas damnationis Honorii cf. Pagnium in Critice Baronii ad an. 655. ad n. XXXII et seqq. ubi Honorium simul, ut par est, a monothelismo immunem apertissime ostendit non solum adversus haereticos protestantes, sed insuper adversus nonnullos catholicos, qui nescio quo spiritu ducti exultant, si quam labem in Romanis pontificibus sibi deprehendere videntur.

(Trente-cinq.)

viam omnem novæ hæresi intercludere (a).

CAPUT IV.

De communione idiomatum et adoratione Jesu Christo debita.

Expositis et vindicatis quæ ad essentiam, ut ita dicam, mysterii dominicæ Incarnationis spectant illudque constituunt, reliquum est ut præcipua colligamus consecraria, quæ ex eo profluunt. Talia porro sunt idiomatum seu proprietatum communio sive communicatio, et adoratio Christo debita, quæ exurgunt ex unitate divinæ personæ et hypostatico duarum naturarum nexu. Ne tamen quæ expendenda suscipimus simul collecta confusionem ingerant, ea in duos articulos dispertiemur, ut singillatim de propositis doctrinæ capitibus agamus.

ARTICULUS I.— *De idiomatum communione.*

Quod a latinis *communio idiomatum* seu proprietatum appellari consuevit, a grecis *ἀντιθεσις* (*antithesis*), seu *mutua communicatio* aut etiam *permutatio* dicitur. Si rem vero spectes communicatio idiomatum ea est, qua utraque natura, et utriusque naturæ proprietates sic enunciantur de Christo, ut quæ conveniunt ho-

(a) Et hæc perstrinxisse circa causam Honorii nobis satis sit, et quidem in hypothesi de integritate epistolarum Honorii, prout referuntur in actis concilii VI et in hypothesi de integritate actorum ejusdem concilii. Nemo enim ignorat Card. Baronium plurimum elaborasse tum ut ejusmodi documenta adulterata esse ostenderet, tum ut spurias evinceret epistolas Leonis II. datas ad Imp. Constantinum, ad episcopos hispan. et ad Hervigium regem. Quam defensionis rationem denuo secutus est Jo. Bap. Bartholus episc. feltriensis in cit. apologia pro Honorio, saltem quod attinet ad epistolas Leonis II et epistolas Honorii quas interpolatas esse contendit. Quoad epistolas Honorii ipsis favet quod scribit s. Maximus Confessor in tomo dogmatico ad Marinum p. 155. ed. cit. nempe « sanctissimum abbatem Joannem, ei (Honorio) ab epistolis adiutorem affirmantem, nullo modo in ea (epistola) per numerum unius prorsus voluntatis mentionem fecisse, licet hoc nunc ab eis confictum sit, qui epistolam græce reddiderunt ». Quod tamen quomodo cohæreat cum iis, quæ ex cit. disput. cum Pyrrho superius indicavi, non video. Hæc enim leguntur l. c. « Is igitur (abbas Joannes Honorii amanuensis) cum ad sanctum Constantinum Imperatorem, ex persona rursus sancti Joannis Papæ de hac epistola scriberet, dixit: *unam voluntatem diximus in Domino*, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis demtaxat. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; respondit: *unam voluntatem diximus*, Christum non duas contrarias voluntates habuisse; carnis scilicet et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed *unam tantum*, quæ naturaliter ejus humanitatem insigniret. »

Quod spectat ad actorum concilii VI et epistolarum Leonis II. veritatem, et integritatem cf. quæ egregie scripserunt Jo. Garnerius S. J. in op. *Liber divinus roman. pontificum* diss. I. §. VI seqq. Combefisius *Dissert. apologetica pro actis sextæ synodi*, Lupus in *dissert. De sexta synodo* ad act. XVIII. auctor anonymus *Historiæ monothelitarum* in scrutinio VI. Pagi in *Critice Baronii* ad an. 681. ad num. XXXI seqq.

Quo vero sensu interdum nomen *hæretici* usurpatur, et applicatum fuerit Honorio cf. Bolgeni S. J. in op. *Fatti dommatici*, e. IV. prop. VI.

mini ea tribuantur Deo, et quæ conveniunt Deo, de homine prædicentur. Fundamentum et causa proxima mutue hujus idiomatum communicationis est hypostatica duarum naturarum unio, hæc enim sublata, jam nullum locum habere posset. Tanti interest diligenter explicare et retinere id quod est communicatio idiomatum, quanti custodire sinceram et rectam Incarnationis notionem.

Quoniam vero non modo hæresis nestoriana, quæ dividebat in Christo personas, sed hæresis quoque eutychniana vitanda est, quæ miscebat et confundebat naturas, magna propterea cautione opus est, ac providendum diligentissime, ne quas de Christo verborum formulas adhibeamus, quæ in alterutrum errorem inducere valeant. Multiplices propterea regulas theologi subjiciunt, quas recenset Petavius (a). Princeps tamen et fundamentalis ad quam cetera reducuntur, et a qua cetera pendent ea est, ut quæcumque de naturis mutuo prædicantur, aut de Christo contraria proferuntur, ad suppositum seu personam referantur, non autem ad naturas seorsim sumptas; vel etiam, quod idem est, ut proprietates divinæ et humanæ de se mutuo enunciantur tantum possint *concretis*, non autem *abstractis* vocabulis.

Nestorius priorem datæ regulæ partem negabat et profitebatur se non posse admittere Deum binulum aut trimulum, nec B. Virginem posse deiparam nuncupari, ut suo loco vidimus. Eutychnes ex contrario principio nitentur subtrahere alteram nostræ regulæ partem. Utramque nos propterea defendere cogimur.

PROPOSITIO I.— *Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto.*

Hæc propositio ad fidem catholicam spectat quam perpetuo professæ ecclesie est. Hanc vero communionem seu communicationem idiomatum admittendam esse tot illa scripturarum testimonia evincunt, in quibus unus idemque Christus modo Deus et Filius Dei, modo homo et filius hominis nuncupatur. Rursum eam illa omnia loca ostendunt in quibus scripturæ diversa plane ratione et varie de uno eodemque Christo loquuntur, ac nunc eum de cælo descendentem perhibent, nunc e muliere genitum; alias Deum anteriorem seculis omnibus, ac rursus novissimis diebus hominem; modo Deum crucifixum, modo hominem in cælo conversantem; ut disputantes adversus Nestorium et Eutychem prolatis scripturarum oraculis ostendimus. Unde in symbolo nicæno-constantinopolitano idem Christus dicitur a Patre natus ante omnia secula, Deus de Deo, atque idem rursus dicitur propter nos homines incarnatus, natus ex Maria Virgine, passus, mortuus et sepultus.

Patres ex hac nominum permutatione ad convincendos hæreticos valida identidem argumenta conficiunt; supervacaneum propterea censemus illorum singillatim verba proferre. Unus audiatur Gregorius Nyssenus, qui ante exortam nestorianam hæresin

(a) Lib. IV. c. XVI. duodecim regulas enumerat, quas ex patribus græcis et latinis collegit.

floruit, sic Apollinarem perstringens: « Propter exactam assumptæ carnis, assumptisque divinitatis unitatem mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur (a). »

Ratio demum theologica desumitur ex ipso hujus idiomatum communionis fundamento. Cum enim duæ natura artissimo nexu consociatæ sint et in una eademque persona subsistant ejusque propriæ sint, plane consequitur posse pro diversitate naturarum diversa de una eademque persona enunciari, quæ inter se contraria videntur.

DIFFICULTATES.

Obj. 1. Quamvis homines in una natura conveniant, falso quod unius est proprium de altero enunciaretur, multo igitur minus in Christo, quod proprium naturæ divinæ est, de humana et vicissim quod proprium est humanæ naturæ prædicari possunt de divina, quæ infinito intervallo inter se distant. 2. Sane magis conveniunt tres personæ divinæ ad invicem quam humana et divina natura in Christo, quin tamen in Trinitatis mysterio una persona de altera prædicetur, nec enim dici potest e. g. quod *Pater sit Filius*, ergo 3. multo minus admitti id potest in mysterio Incarnationis. 4. Præterea unio duarum naturarum in Christo comparatur unioni corporis et animæ in homine, ut patet ex symbolo athanasiano; porro de homine dici nequit *anima est corpus* et e converso. 5. Neque omittendum toti Trinitati singulisque personis convenire quod de Deo prædicatur *absolute* non autem *relative*; at nomen *homo* non est *relativum* sed *absolutum*; si igitur quæ hominis sunt de Deo prædicantur in Incarnatione, sequitur de tota Trinitate personisque singulis illud prædicari posse. 6. Hinc si vera est hæc propositio: « Homo est Deus, » hæc pariter vera foret: « Homo est Pater æternus » juxta syllogismum a Scoto ita institutum: « Homo est Deus: sed Deus est Pater, Filius et Spiritus Sanctus; Ergo homo est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, » quod absolum esse nemo est qui non videat. 7. Quod demum falsitatis arguit assertam propositionem est, quod ea, quæ naturæ humanæ conveniunt, iis opponantur, quæ divinæ naturæ propria sunt. Siquidem ea quæ propria sunt humanæ naturæ imperfecta sunt, finita ac limitibus circumscripta, contra vero perfectissima et infinita quæ sunt propria naturæ divinæ: misceri propterea deberet simulque conjungi finitum et infinitum, perfectum et imperfectum, quod repugnat; 8. præsertim cum *assumit* ita conveniat naturæ humanæ, ut nullatenus de divina prædicari possit. Ergo.

R. Ad 1. D. Seposita hypostatica unione, C. hæc constituta N. Quilibet enim homo in propria subsistit hypostasi.

Ad 2. D. Quæ tamen distinguuntur secundum hypostasi.

(a) Epist. ad Theophil. ep. Alexandr. Opp. ed. Paris 1615. T. II. p. 697. Reliqua patrum testimonia recole apud Petav. l. IV, c. XV.

postasim, C. secus N. in Christo autem una est persona utriusque naturæ.

Ad 3. Ratione naturæ humanæ, C. personæ N.

Ad 4. D. min. In abstracto, C. in concreto N.

Ad 5. N. min. Prædicatur enim nomen *homo* de Deo ratione unionis hypostaticæ, ideoque relationem importat.

Ad 6. D. Maj. Si Dei nomen assumeretur pro natura, C. si pro persona N. Atque inde responsio patet ad Scoti subtilitatem.

Ad 7. D. Si prædicarentur secundum eandem rationem, C. si secundum diversas rationes, duarum nempe naturarum N.

Ad 8. D. Ratione sui ipsius, C. ratione suppositi N. Consulatur S. Th. 3. p. q. 26. ar. 1. seqq. Neque enim in his diutius nobis immorari fas est.

PROPOSITIO II.— *Nulla modo admitti potest communicatio idiomatum in abstracto, nec tribui proinde Christi humanitati omnipotentia, ubi quæ sit, seu omnipresens.*

Et hæc propositio ad fidem catholicam pertinet, quam constanter professæ est ecclesia: longe aliter docere lutherani ad adstruendam humanitatis Christi ubi quæ sit, seu ut loqui malunt, *omnipresens* (a).

Ejusmodi enim lutheranorum commentum everunt 1. omnia illa scripturarum testimonia, quæ Christum exhibent ambulantem ac de loco in locum transeuntem, quæ innumera sunt: 2. illa omnia quæ ita exhibent Christum in uno loco commorantem, ut negent alibi esse, sic Jo. XI. 15. Christus loquens de Lazaro inquit: « Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. » Martha quoque: « Domine, si fuisses hic, inquit, frater meus non fuisset mortuus (b); » tum Angelus Marc. XVI. 6. ad mulieres parentandi causa venientes « Surrexit, ait, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum; » 3. ea omnia, quæ post resurrectionem gloria jam et immortalitate donatum certo loco contineri Christum referunt; sic Petrus Act. III. 21. de Christo ait: « Quem oportet quidem cælum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium, » et Angelus post ascensum Domini: « Hic Jesus, inquit, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cælum. »

Eidem commento adversantur pariter fidei symbola, quæ declarant Unigenitum Dei Filium incarnatum esse, et in utero Virginis conceptum, indeque in

(a) Elsi enim Lutherus ejusque assectæ eutychniana labe infecti contendunt ob assumptam a divino Verbo in unitate personæ humanam naturam huic divinas proprietates communicatas fuisse, præsertim vero *immensitatem* qua Deus ubique est, *ubiquitatis* et *ubiquitarum* vocabula iniquo animo ferunt, eisque reclamare solent. Excogitatam porro ab ipsis ejusmodi hæreticum paradoxum est ad tuendam realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia, quin adverterint, ut ostendit Bellarminus lib. III. de Christo c. XIII. ubi quæ sit, pugnantem cum ipso sacramento Eucharistiæ, ipsumque evertere.

(b) Jo. XI. 21.